



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Itinerarivm, Sev Iter Agentivm Preces. Ex Romano Breuiario. Pij. V. P. M.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

I T I N E R A R I V M ,
S E V I T E R A G E N T I V M
P R E C E S .

Ex Romano Breuiario. Pij v. P. M.

IN ipso itineris ingressu , Antiph. In viam pacis.
Cantic. BENEDICTVS Dñs Deus Isræl, quia
visitauit & fecit redemptionem plebis suæ, &c.
post Gloria Patri & Filio, postea repetitur:

In viam pacis & prosperitatis dirigat nos
omnipotens & misericors Dominus : & Ange-
lus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum
pace, salute, & gaudio reuertamur ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison . Kyrie elei-
son. Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas in temptationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Vers. Saluos fac seruos tuos . *Resp.* Deus
meus sperantes in te.

Vers. Mitte nobis Domine auxilium de san-
cto. *Resp.* Et de Sion tuere nos.

Vers. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
Resp. A facie inimici.

Vers. Nihil proficiat inimicus in nobis.
Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere
nobis.

Vers. Benedictus Dominus die quotidie.
Resp. Prosperum iter faciat nobis Deus saluta-
rium nostrorum.

Vers. Vias tuas Domine demonstra mihi.
Resp. Et semitas tuas edoce me.

Vers. Utinam dirigantur viæ nostræ, *Resp.* Ad
custodiendas iustificationes tuas.

Vers. Erunt prava in directa. *Resp.* Et aspe-
ra in vias planas.

Vers.

Vers. Angelis suis Deus mandauit de te.

Resp. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

O R E M V S .

Deus qui filios Israël per maris medium siccō vestigio ire fecisti , qui que tribus Magis iter ad te stella duce pandisti , tribue nobis quæsumus iter prosperum , tempusque tranquillum : ut angelo tuo sancto comite , ad eum , quo pergimus locum , ac demum ad æternæ salutis portum peruenire fœliciter valeamus .

Deus qui Abraham puerum tuum , de Ur Chaldaeorum eductum , per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti : quæsumus , vt nos famulos tuos custodire digneris : esto nobis Domine in procinctu suffragium , in via solatium , in æstu umbraculum , & in pluviâ & frigore tegumentum , in lassitudine vehiculum , in aduersitate præsidium , in lubrico baculus , in naufragia portus , ut te duce quo tendimus , prosperè perueniamus , & demum incolumes ad propria redeamus .

Adesto quæsumus Domine , supplicationibus nostris : & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone : ut inter omnes viæ & vitæ huius varietates , tuo semper protegamur auxilio .

Præsta , quæsumus omnipotens Deus : ut familia tua per viam salutis incedat , & beati Ioan-

Ioannis præcursoris tui hortamenta sectando,
ad eum, quem prædixit, secura perueniat, Do-
minum Iesum Christum filium tuum, Qui te-
cum viuit & regnat in unitate Spiritus sancti
Deus per omnia sæcula sæculorum.

Reſp. Amen.

Vers. Procedamus in pace.

Reſp. In nomine Domini. Amen.

I T A.

